

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0525

0523

0529

0519

0534

0514

0574

0474

0624

0424

1024

0024

Ende

Anfang

abjiciebant nobis utres, quos aqua repleveramus, quos nos contrario reposuimus et ipsi iterum rejiciebant et absque percussionibus pessime nos invicem tractavimus iracundissimi gestibus. Ad ultimum venerunt aliqui Arabes, qui nos ita concordaverunt, ut novam mercedem pro istis utribus ferendis camelariis daremus. Et ita fecimus et, si ab initio hoc faceremus, nullum litigium fuisset exortum. Tandem autem oneratis camelis a monasterio recessimus. Cucurrit autem unus Arabs post nos portans unum lectulum et quandam sportam quam nostri camelarii de industria reliquerant, et ita ille peregrinus, cuius erat lectulus, si habere voluit, eum oporteba emere ab Arabe et, postquam lectulum accepit, camelarius noluit eum super camelum ponere nisi datis novis denariis. E ita bene vexati a monasterio elongati sumus eentes per vallem per quem intravimus, usque in vallem grandem, ubi filii Israe vitulum adoraverunt et quatuor horas lento gradu processimus In vespera autem tentoria fiximus in loco, quem nominabant Arabes Wachya, et difficulter sarmenta pro igne ad coquendum cibos invenire poteramus. Illi autem Arabes cum camelis fructus portantibus locaverunt sua tabernacula in medio nosti et ita noctem illam deduximus.

#### Processus.

Die XXVIII., quae erat dominica XVIII. post Trinitatis tribus horis ante lucem surreximus et oneratis camelis Wachyae loco recessimus per arctum illum introitum, de quo supra dixi fol. 32., et altiora montana Synai postergavimus et i Macheram, ubi Moyses oves Jethro pascebat, revenimus. I eadem latitudine dimisimus viam, (63a) per quam intravimus in ingressu nostro, ad dextram et ad latus sinistrum in torrentem invium descendimus, qui tamen delectabilis erat, qui plenus myricis et virgultis stabat, inter quae asini et cameli transeuntes de ramusculis folia et viorem decerpabant manducabant, nos viorem a foliis suximus, quia ut zuckaru et mel dulcis erat, de quo manna illud saporosum fit. Circa meridie de illo torrente ascendimus in vallem, ubi cum Arabibus conflictu habuimus in die beati Matthaei, die octava ab illo. Transeuntibus

